



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

9 Quid sit causalitas materiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

XI. Rursus sigillatio materię, quę sit aliquid distinctum à quantitate & qualitatibus disponentibus materiam, prorsus est quid fictum & commentitium, ut loco supra citato monstratum est. Qualitates autem si fortasse non manent eadem in genito, & corrupto: non aliter sigillant materiam, nisi quia hæc qualitates quę præcedunt instanti generationis, denudant materiam, & relinquunt illam liberam & expeditam ut agens in eam introducat suam formam: qualitates vero, quę in eo instante introducuntur, solum cōsequuntur formam, & quasi fouent, ac eam retinent in materia. Si autem eadem numero dispositiones, quę fuerunt inchoatę in corrupto, manent consummatę in genito, sic facilius dici possunt determinare materiam ad talem formam: illud tamen non est, quia materia ex se illis indigeat ad suam causalitatem, sed vel ob naturalem modum & ordinem agendi medijs accidentibus, necessario ita præmittuntur, vel quia forma ipsa tales postulat dispositiones. Materia autem quamuis ex se sit indifferens ad plures effectus seu formas, non est ex se insufficiens, aut incompleta ad singulos effectus suos, sed potius in suo genere est quasi vniuersalis causa, sufficiens ad singulos effectus; causa autem sic indifferens, bene potest determinatum effectum causare, si aliunde concurrant alię causę, ad eam determinationem necessarię, ut sunt in proposito agens, vel dispositiones. Igitur per se & intrinsece ex vi causalitatis materialis, nulla sigillatio ad illam requiritur ut necessaria conditio. Præter has autem condiciones nullę alię hactenus excogitatę sunt, neq; fingi facile possunt, cum nulla appareat ratio vel fundamentum talis necessitatis. Omitto enim conditionem generalem & quasi transcendentalem respectu omnis causę creatę, scilicet quod conseruetur à Deo, nam hoc & commune est, & sub existentia comprehenditur. Omitto etiam necessariam habitudinem seu relationem ad formam: & (ut ita dicam) causalitatem formę, nam hoc potius est quid necessario consequens, quam requisita conditio ad causandum. Nihil ergo aliud ad causalitatem materię ex parte illius necessarium est. Et hæc satis sunt de hoc puncto, nam fundamenta aliarum opinionum, quę inter illas referendas insinuata sunt, ex dictis sufficienter soluta & expedita sunt.

SECTIO IX.

Quid sit causalitas materię.

I. Causalitas materię non est ipsa materię substantia.



Atque sunt hæc de re opiniones. Dicunt enim aliqui causalitatem materię nihil aliud esse quā ipsammet materiam, quę seipsam exhibet composito & per seipsam sustentat formam, quia eius causalitas non consistit in productione alicuius rei à se distinctę, sicut causalitas efficientis, sed in hoc solum, quod seipsam præbet suo effectui. Sed hæc sententia vera esse non potest: nam licet verum sit materiam non aliter causare quam sustentando, aut componendo id quod causat: nihilominus hoc quod est sustentare, aut componere, aliquid est in re ipsa distinctum ab ipsa materia, nam potest materia esse in rerum natura, & non causare hanc formam, vel hoc compositum: & successiue variare causalitatem suam circa varios effectus, manente inuariata entitate eius: ergo causatio ipsa aliud est ab eius entitate. Imo de potentia absoluta potest conseruari materia sine vlla forma, ut infra ostendemus, & tunc nihil actu causeret, sed solum ex se esset potens ad causandum: ergo aliud est id quo constituitur actu causans ab eo quo constituitur potens ad causandum: hac enim sola ratione probamus in causa agente aliud esse actionem à potentia agentis. Quod si quis forte

dicat, materiam causare non addere aliquid ipsi materię, sed connotare existentiam formę in illa, non satisfaciat. Nam, quidquid sit de illo addito, quod postea videbimus, formam existere in materia, formaliter ac præcise loquendo, non est materiam causare, sed potius causari, vel informari: oportet autem aliquid designare à quo formaliter sumatur illa denominatio causandi, & declarare an illud sit intrinsecum, vel extrinsecum materię.

Secundo dicunt alij causalitatem actuale nihil addere materię præter relationem causę ad effectum, sed si sit sermo de propria relatione prædicamentali, non potest hæc sententia vera esse, quia hæc relatio consequitur causato iam effectui, & positis fundamentis & terminis: ergo supponit causalitatem ut rationem proximam ad quam consequitur: ergo non potest causalitas in hac ratione consistere. Quod & supra de causa in communem dictum est, & pro omnibus causis dictum intelligitur, ne id amplius repetere necesse sit. Si vero sit sermo de aliqua relatione transcendentali, coincidit hæc opinio cum quarta statim referenda.

Potest ergo tertia sententia esse asserens hanc causalitatem materię esse ipsummet effectum eius; diuerso modo significatum & conceptum: quia hoc sufficit ad explicandam hanc causalitatem, & vix potest alia inueniri, aut cogitari. Sed licet de aliquo effectui hoc fortasse verum sit, ut de generatione & vniuersali generatione statim declarabo (nam hæc ita se habent sicut actio ad causam agentem, quę etiā dici potest effectus eius) non tamen potest id esse in vniuersum verum, tum quia causalitas in omnib. causis est aliquid medium inter causam & effectum, tum etiam, quia forma materialis est effectus materię, & nō potest esse causalitas eius. Nam anima equi, v.g. quę nunc causatur materialiter à sua materia, potest in re conseruari sine tali causalitate: ergo illa causalitas aliud est in re ab illa anima, & ab entitate eius. Sicut quantitas Eucharistię quę antea conseruabatur media causalitate materiali substantię panis, postea conseruatur cessante illa causalitate, quod est signum, causalitatem illam esse quid diuersum à realitate quęritatis. Quod si forma secundum suam absolutam entitatem non est causalitas materię, nec totum compositum esse potest: maxime quia in composito includitur ipsa materia, quę à seipsa non causatur: & in aliquo composito, nempe homine, includitur etiam forma, quę à materia non causatur: quo modo ergo totum compositum esse poterit causalitas materię?

Quarta opinio esse potest, causalitatem materię esse modum quandam ipsius materię realem, & ex natura rei distinctum. Nam considerata absoluta entitate materię, hic modus solum in potentia ab ea continetur: oblata autem occasione agentis inducitur forma, materia etiā actu exhibet hunc modum, quo in se recipit, & fouet formam: & consequenter componit compositum. Si autem talis forma recedat, adueniente alia forma, materia etiam admittit priorem modum, & alium exhibet circa aduenientem formam. Ita sentiunt Conimbricenses 2. Phyl. qu. 6. & 8. Fundamentum sumitur tum à sufficienti partium enumeratione, tum etiam quia talis modus necessarius est, cum ostensum sit hanc causalitatem esse aliquid, & non sit necesse, ut sit entitas distincta, cum materia per se ipsam immediatē vniatur formę: ergo oportet ut sit aliquis modus realiter quidem identificatus materię, modaliter autem & ex natura rei distinctus, cum sit separabilis ab ipsa.

Questionis resolutio.

Veruntamen hæc sententia partim falsa videtur, partim dubia. Quod ut declarem, & meam sententiam aperiam, distinguo illa quatuor, quę supra dixi causari ex materia, generationem, vniem formę,

ma, entitatem formæ, & compositum ipsum. Quoad generationem ergo existimo per se ipsam causari à materia nulla alia re vel modo addito materiæ præter ipsam generationem illi inhaerentem: atque adeo causalitatem ipsius generationis à materia nihil aliud esse, quam ipsammet generationem, ut esteductio ex materia. Sicut enim actio est ab agente, non per aliam actionem, sed per se ipsam, & habet rationem actionis, ut est ipsa emanatio à causa agente, & ut sic est ipsa causalitas agentis, ut infra dicam: itaeductio, seu passiva generatio, quatenus essentialiter pendet à subiecto, & per se ipsam necessario illi coniungitur, ab illo causatur materialiter non per aliam causalitatem, sed per se ipsam. Hoc imprimis probatur ex ipsa rei declaratione: nam hoc modo optimè intelligitur causalitas materiæ circa generationem, & nihil aliud est necessarium: ergo superfluum est aliquid aliud fingere. Secundo id declaratur ex accidentalibus mutationibus & unionibus: quando enim lignum calefit, calefactio fit in tali subiecto, & ex subiecto: non sunt autem tunc duæ mutationes in illo subiecto, una, quæ sit ipsa calefactio passiva, alia, quæ sit modus aliquis, quo tale subiectum causat materialiter calefactionem, illi vnitur: superfluum enim est has multiplicare mutationes, nam hoc ipso quod calefactio talis est, ut extrinsecè dicat habitudinem actualis unionis, & dependentiæ à tali subiecto in genere causæ materialis, & ipsa causatur à subiecto, & subiectum causat ipsam, & ipsa vnitur subiecto, & subiectum manet illi vnitum: superfluum ergo est aliam mutationem in subiecto addere: idem ergo est in causalitate materiali substantialis generationis. Vnde confirmatur tertio, quia per idem, seu per eundem modum quo effectus causatur, causa causat, quia causatio ipsa ut sic, duplicem illam habitudinem essentialiter includit, ad causam ut ad principium, & ad effectum ut ad terminum: & ideo utrumque denominat, alterum causans, alterum causatum sed generatio hoc ipso, quod intrinsecè & essentialiter est pendens à materia, per se ipsam causatur ab illa: ergo ab eadem, ut est ex materia, denominatur materia causans illam: ergo nulla alia res, aut modus necessarius est, ut materia denominetur actu causans generationem. Imò neque intelligi potest quomodo materia per alium modum causet generationem. Quod quartò declaratur, nam materiam causare generationem, nihil aliud est quam sustentare illam ut subiectum: sustentat autem illam immediate in entitate, & per entitatem suam hoc ipso, quod generatio in ipsa fit: ergo omnis alius modus est impertinens ad hanc causalitatem, nec conferre quidquam potest ad hanc sustentationem.

Vltimo argumentor, quia si præter generationem ipsam, causalitas materiæ esset modus realis distinctus, oporteret fieri ab aliquo agente: omnis enim modus realis nouus à noua causa fieri debet, sed nullum est agens à quo fiat talis modus: ergo. Probatur minor, quia agens sicut solum agit per suam formam substantialem, vel accidentalem, ita non concurrat effectui nisi ad eductionem formæ, quæ est calefactio, verbi gratia, vel generatio: ergo præter illam non facit aliquem alium modum. Dices: Quamuis per se primo ille alius modus non fiat, resultat tamen, nam hoc ipso, quod hæc res vnitur illi, resultat vnio illius ad hanc. Sed contra primò, quia ostensum est nullam esse necessitatem talis resultantiæ ad causalitatem, neque videtur etiam necessaria ad unionem: quia potest alia res denominari vnita per unionem alterius ad ipsam, sine nouo modo unionis in ipsa, ut in mysterio incarnationis dicunt Theologi, & in naturalibus cum homo sedet, verbi gratia, sessio vnita est homini, & homo sessioni: quis autem fingat hominem denominari vnitum sessioni per nouum modum distinctum à sessione, & non potius per ipsam sessionem, quæ per se ipsam vnitur subiecto: alioqui

procedendum esse in infinitum. Sic ergo materia denominatur vnita generationi, quia generatio in ea fit, neque est necessarius alius modus, qui in materia resultet. Deinde inquiram qualis sit, & à quo illa resultantia: duobus enim modis intelligi potest, primo, quod posita in materia actione agentis eductis formam, resultet à materia ille modus: atque ita materia effectiue faceret suam causalitatem materialem: quod dici non potest, etiam si dicatur esse illa efficientia per resultantiam naturalem. Secundo potest excogitari illa resultantia, quod fiat ab agente extrinsecò media forma quam inducit in materiam: & sic forma inducta efficiet causalitatem materialem, per quam ipsa causatur, & prius natura esset in materia, quam ille modus resultaret: ex quo facile conuincitur talem modum esse impertinentem ad materiæ causalitatem.

Ex his ergo (ut existimo) satis constat in materiali causalitate generationis non distingui huiusmodi causalitatem ab ipsa generatione, prout est in materia à qua denominatur materia actu causans, quatenus ab illa est, sicut ab eadem denominatur generans actu agens, quatenus ab illo est. Vnde sicut denominatio agentis non est ab aliquo modo, qui sit in ipso agente, sed extrinsecus ab actione: ita denominatio causantis actu in ipsa materia non est ab aliquo modo, qui sit illi ita intrinsecus, ut sit in re idem cum ipsa, sed ab ipsamet generatione, quatenus est ex ipsa: & hac ratione poterit dici talis denominatio extrinsecus, quamuis quia generatio est in ipsa materia, ea ratione possit dici intrinsecus, in quo differt à denominatione agentis. Dices, posse Deum eandem numero generationem conseruare separatam à materia: tunc autem non causaretur à materia, & consequenter non denominaret illam actu causantem: ergo non denominatur actu causans præcisè à generatione ut sic: oporteret ergo adiungere aliquem aliū modum. Responderetur imprimis falsam esse assumptionem, nam implicat esse, aut conseruari actionem generationis extra subiectum, & absque causalitate materiæ: tum quia generatio essentialiter est mutatio, mutatio autem nec intelligi potest sine subiecto. Tum etiam, quia generatio in omnibus aliis extra hominem essentialiter esteductio de potentia materiæ: in homine vero est vnio formæ cum materia: utroque autem modo repugnat intelligi sine concursu materiæ. Tum denique, quia actio sine concursu subiecti est creatio, vel productiua, si sit noua, vel conseruatiua, si sit circa rem præexistentem: ergo hoc ipso, quod forma, quæ erat in subiecto, & à subiecto pendebat, extra subiectum conseruatur, necessario variatur actio. Vnde concluditur, mutationem illam, quæ est generatio, essentialiter includere unionem ad materiam, & causalitatem materiæ: & ideo ab illa præcisè sumpta, denominari materiam causantem. Adde, quod licet gratis daremus id, quod assumitur, non inde inferretur, ad illam denominationem esse necessarium in ipsa materia speciale modum, sed ipsa generatione distingui entitatem, & formalitatem generationis ab vnione eius cum materia, sicut interius dicemus de ipsa forma: sed quia in mutatione, quæ est generatio, id verum non est, in hoc nunc non immorabimur.

Ex his vltius concluditur, causalitatem materiæ, quatenus est causa in fieri, vel formæ, vel compositi, non esse aliud, quam ipsamet generationem ut essentialiter pendentem à materia: nam, median te illa, concurrat materia ad eductionem formæ, vel compositionem compositi: causalitas autem causæ nihil aliud est, quam concursus eius. Item, quia, causare aliquam rem in fieri: nihil aliud est, quam quod fieri talis rei sit à tali causa: ergo per eandem causalitatem causatur res in fieri, per quam causatur ipsum fieri rei. Quod patet à simili ex causa agente: nam ipsamet actio, quæ est per se ipsam ab agente,

VII.

Generatio
nequit esse
separatu-
raliter ex-
tra subiectū
conseruari.

VIII.

Materia in
formam, &
compositum
generatione
ut causalitas
et influit.

est causalitas actiua eius respectu termini, seu rei in fieri: eadem ergo proportio seruanda est in causalitate materiali. Tandem applicari ad hoc possunt multa ex argumentis factis, praesertim illud, quod hanc ratio causandi sufficit ad eam denominationem, quae materia dicitur causare rem, quae generatur, & posita illa ratione causandi, & praeciso per intellectum quocumque alio modo, sequitur necessarium illa denominationem: ergo, quicquid aliud fingatur, est superuacuum, & sine fundamento. Solum videtur notanda differentia in hac causalitate respectu formae, & respectu compositi, quod respectu formae materia quodammodo extrinsecus manet, quatenus sufficit formam in se velut informantem; non vero intrinsecus componit illam, & ideo manifestissimum videtur causalitatem materiae respectu formae in fieri nihil aliud esse quam educationem, vel vnitionem eius, prout est à materia, quam ostendimus in re non esse aliud praeter ipsam generationem. At vero respectu compositi, materia comparatur magis intrinsecus, quia per se ipsam illud componit: & ideo respectu compositi necessarium videtur, ut ipsamet materia intrinsecus includatur. Sed hoc est quidem verum quoad inclusionem in effectu causato, non tamen quoad viam, seu fieri quod tenditur ad talem effectum in hoc genere causae materialis: nam materia non ita est causa in fieri reigenitae, ut ipsa etiam fiat: nam illa semper praesupponitur facta, & solum se communicat composito, quod generatur in suo genere causae, & quatenus hanc communicatio est in fieri, & materia est causa eius, dicitur esse causa reigenitae in fieri: non est autem hanc communicatio in fieri, nisi media educatione vel generatione: & ideo tota hac causalitas, quatenus intelligitur esse quid medium inter materiam & effectum, seu compositum, in re, non est aliud ab ipsa generatione, ut est ex materia.

Qua materia causalitas post motum perscrutans.

IX.
Vnio forma
ad materia
per se ipsam
à materia
causatur
& pendet.

Superest dicendum de causalitate materiae in facto esse, ad quam explicandam incipiendum est à causalitate vnionis formae cum materia: nam etiam hanc diximus causari à materia: nunc vero addimus non causari per aliquam causalitatem distinctam à tali vnione, sed per ipsammet. Quod facile demonstrari potest ex dictis de ipsa generatione: est enim eadem proportionalis ratio. Quod sic ostendo: nam etiam hae vnio formae cum materia, per se ipsam est coniuncta materiae eo modo, quo esse potest: ergo per se ipsam est pendens à materia eo modo, quo pendere potest: ergo per se ipsam causatur, eatenus enim causatur, quatenus pendet: ergo e conuerso, materia causat illam vnionem per ipsammet: nam, ut dixi, eadem est causalitas, à qua & effectus denominatur causari, & causa causare. Omnes consequentiae probatae sunt in superioribus: antecedens vero patet primo à posteriori, quia impossibile est, illam vnionem conservari sine concursu materiae, seu quin sit in materia eo modo, quo esse potest: ergo signum est per se ipsam immediate & essentialiter pendere à materia: nam, si penderet mediante aliquo modo ex natura rei distincto, posset Deus, auferendo modum illum, conservare vnionem illam sine materia: hac enim ratione potest conservare formam, ut infra dicam. Antecedens patet, quia non potest vnio manere, quin actu vniet, non potest autem actu vnire, quin coniungat extrema, & utrumque attingat eo modo, quo potest, & debet. Et haec est ratio à priori, propter quam illa vnio per se ipsam pendet essentialiter, cum à forma, tum à materia, à singulis in suo genere, quia est veluti actuale vinculum illarum, & non indiget alio interiecto vinculo, aut modo, quo ipsas attingat, seu illis coniungatur, ne procedatur in infinitum. Tandem confirmatur ratione supra facta, quia hoc suffi-

cit ad hanc causalitatem, & sine illo poni non potest ac illo posito, & praeciso omnialio modo, sufficienter intelligitur talis causalitas materiae: ergo omne aliud est fictum, & sine fundamento, neque in hoc est ulla difficultas praeter statim attingendam.

Hinc ulterius addo, causalitatem materiae in ipsam formam (quando forma talis est, ut à materia causatur, & pendeat) non esse aliud à propria vnione talis formae cum materia, quamuis ipsamet vnio materialiter causatur à materia, & mediante illa forma ipsa pendet etiam à materia. Dixi, non esse aliud à propria vnione talis formae, quia non qualibet vnio sufficit ad hanc causalitatem: anima enim rationalis habet propriam vnionem cum materia, quae vnio etiam causatur materialiter à materia, & tamen ipsa anima non causatur non ergo qualibet vnio est causalitas ipsiusmet formae, sed illa, quae est per educationem formae. Ex quo obiter intelligimus vnionem animae rationalis cum materia esse singularem, & distinctam rationis essentialis ab omni vnione materialis formae, quam substantialem inhærentiam appellare possumus: & hanc dicimus esse causalitatem, per quam materia causat talem formam.

Dices: Cur non possumus in forma materiali distinguere duos modos, quorum vnus sit mera vnio formae cum materia, qualis est in anima rationali: & per illum non pendeat illa forma à materia, sed solum vnietur ad componendum compositum: alius vero modus sit dependentia talis formae à materia? Respondeo, quia vel plane impossibile, vel omnino superfluum est tales modos distinguere & multiplicare. Primo, quia in accidente non distinguimus duos modos, quorum vnus sit vnio, alius inhærentia, seu dependentia accidentis à subiecto, sed eadem inhærentia vnietur & pendet: ergo & similiter, &c. Secundo, quia propria dependentia à causa materiali intrinsecus & essentialiter includit vnionem, ita ut neque fieri, neque intelligi possit, quin illam intime includat: ergo inhærentia, quae idem est, quod dependentia materialis, non est modus ex natura rei distinctus ab vnione formae inhererentis, sed est veluti species vnionis in communi: nam alia est inhærentia, alia vero non, sicut ergo genus & species non sunt modi ex natura rei diversi in eodem individuo, ita vnio & inhærentia, seu dependentia materialis, non sunt modi distincti in eadem forma. Ex his ergo facile probata relinquatur assertio posita, quia haec forma per suam vnionem pendet à materia: ergo mediante illa causatur à materia in suo genere: ergo etiam materia causat formam mediante illa, iuxta principium supra positum, quod causari & causare dicunt eadem causationem sub diuerso respectu: ergo haec ipsa vnio est causalitas materiae à causa talem formam. Secundo, quia causalitas causae mediat quodammodo inter ipsam, & effectum: sed inter materiam, & formam non mediat, nisi haec vnio, & quasi inhærentia: ergo illa est causalitas materiae in formam. Tertio, quia haec sufficit ad hoc genus causalitatis, praeciso quocumque alio etiam per intellectum.

Dices, neque hoc videri necessarium, quia forma & materia immediate vnietur, ut supra dictum est. Respondetur immediate vnionem non excludere modum vnionis realiter, vel ex natura rei distinctum ab extremis: sed excludere formam mediam, quae intercedat tanquam communis terminus, in quo coniungantur extrema: modus autem vnionis excludi non potest, quando extrema talia sunt, quae possint esse separata: quia, nisi vel verumque, vel alterum illorum aliter se habeat, quam cum sunt seiuncta, non poterunt esse realiter vnita, & ideo etiam in mysterio incarnationis ponunt Theologi hunc modum vnionis ex parte humanitatis.

Quadruplex vnio in materiali composito.

Sed hinc oritur alia difficultas, quae sola videtur esse alicuius momenti in hac sententia, & propter quam

quam diximus quartam opinionem ex parte esse dubiam, nimirum, quia si forma vnitur materie per proprium modum vnionis: ergo etiam materia vnitur forme per proprium modum vnionis: ergo materia non tantum causat per vnionem, vel inhesionem forme, sed multo magis per propriam vnionem, quia ipsa coniungitur forme: atque ita causalitas materie erit potius proprius modus ipsius materie, quam forme. Ad hanc difficultatem fateor, rem esse dubiam, an in compositione materie & forme habeat materia proprium vnionis modum, distinctum ab vnione forme. Dico tamen duo. Vnum est, esse valde probabilem partem negantem, quia ad vnionem duorum extremorum, quæ inter se immediatè vniantur, sufficit vnus simplex modus vnionis, & assignari potest specialis ratio, ob quam talis modus magis ad formam pertineat, & cum illa realiter idem sit, quam cum materia: ergo non oportet plures modos huiusmodi multiplicare. Maior probatur, quia omnis modus vnionis est vinculum duorum extremorum, vnde ad vtrumque dicitur habitudinem, sine qua esse non potest: ergo quilibet modus vnionis vnus duo extrema, quorum est vnio: ergo vnus sufficit ad huiusmodi extrema coniungenda. Et ideo supra dicebamus, vnionem forme ad materiam non posse esse, aut intelligi in rerum natura sine coniunctione, & dependentia, non solum à forma, sed etiam à materia: & ideo, si per intellectum prædicandum omnem alium modum identitatum materie, per solam vnionem forme ad materiam, intelligimus materiam & formam esse perfectè vnitas inter se, & materiam exercere in formam totam causalitatem quam habet: ergo non est necessarius duplex modus vnionis, sed vnus sufficit. Minor autem, scilicet, hunc modum potius pertinere ad formam, quam ad materiam, probatur, quia tota efficientia agentis naturalis terminatur formaliter & proximè ad formam, educendo illam, vel vniendo materie: ergo quidquid de nouo facit, est in forma tanquam in formali termino actionis, in materia autem solum vt in subiecto, & ideo non vnit materiam forme, directè efficiendo in materia specialem modum, sed solum vniendo formam ipsi materie, & efficiendo in ea in formationem & vnionem, vel inhesionem. Estque hoc consentaneum modo se habendi & concurrendi materie & forme: nam materia substat actioni agentis, & aduerti ac recessui formarum. Vnde, quantum ad suam entitatem, omnemque suum intrinsecum modum inuariata manet, solumque variatur, vel mutatur ratione priuationis, aut forme recedentis, aut denuo aduenientis. Quod his verbis dixisse videtur Damascenus in sua Physica, cap. 3. vbi de materia ait: *vt quæ subiecti rationem obtineat, & quantum ad id, quod potentia est, attinet, substantia præditam esse, & cum priuatione esse, ac forma actus presente, manere, atque illud suum, hoc est, potentia, ab omni mutatione liberum conseruare, hincque fieri: vt nec ab hoc, quod potentia est, in actum migret, verum in suo statu manens formam suscipiat, ac, forma recedente, rursus priorem statum retineat.* At vero forma est, quæ aduenit materie, & ab illa recedit: & ideo omnis mutatio, quæ fit in materia, est ratione forme, & similiter omnis vnio est per cõiunctionem forme ad illam. Quod præterea materiali exemplo declarari potest: nã basis, quæ supponitur columnæ, in se non variatur, nec mutat locum, aut aliquem alium modum, ex hoc, quod columna ei superponatur, vel auferatur, aut varietur, sed tota mutatio fit in columna, quæ superponitur, à qua prouenit omnis denominatio in basim, quæ dicitur sustentare columnam. Et similiter in accidentalibus mutationibus, quando lignum, v. g. calefit, non fit duplex mutatio in ligno. Vna in adhesionem caloris, altera in vnione ligni ad calorem, sed vna tantum, quæ consistit in introductione caloris.

Addo secundo, quamuis gratis admitteremus ef-

se in materia proprium modum vnionis, distinctum ab vnione forme, nihilominus non posse illi tribui, quod sit causalitas, per quã materia causat formam, quia nec materia per talem modum sustentat formam, neque forma per illum modum pendet à materia. Prior pars constat, quia materia non per modum, sed per suam entitatem sustentat formam. Posterior probatur, quia forma per suam inhesionem pendet à materia, vnde, si in materia est talis modus vnionis, potius erit, vt effectus consequens ex informatione, & quantum est ex se, eiusdem rationis erit, siue forma pendeat à materia, siue non. De qua vnione materie iterum occurret sermo, tractando de causa formali.

Ex his vltèrius concluditur, causalitatem materie circa compositum, nihil omnino addere ipsi materie præter vnionem forme, atque ita non esse aliam causalitatem compositi, nisi ipsammet causalitatem forme, vel vnionis, solumque addere respectu compositi, quod materia, media vnione, se ipsam exhibet ad componendum intrinsecè compositum: vnde ipsa entitas materie magis intimè ingreditur causalitatem compositi, quam forma vel vnionis, in re tamen nihil aliud interuenit, nisi entitas materie, & vnio seu causalitas forme.

Vltimò intelligitur ex dictis, quod supra etiam insinuatum est, duas tantum esse causalitates materie ex natura rei distinctas, licet ratione possint plures distingui. Causalitas enim materialis respectu rei in fieri, vel in facto esse, ex natura rei distincta sunt, licet generatio ex natura rei distinguitur à forma, seu à re genita, & vnio in fieri ab vnione vt facta: ostendimus autem, causalitatem rei in fieri non distingui in re ab ipsa generatione, vel vnitione, causalitatem vero rei in facto esse similiter non distingui ab vnione vt facta, & formaliter terminante vnitionem: ergo necesse est huiusmodi causalitates inter se esse distinctas ex natura rei. Dices, posse has duas causalitates ad vnã reuocari, quia res in facto esse non causatur, nisi mediante actione: ergo causalitas tota consistit in actione, & generatione ipsa, prout est à materia, reliqua enim omnia potius sunt quid causatum, quam causalitates, sicut respectu agentis tota causalitas consistit in actione vel vnitione, & vnio in facto esse non est causalitas agentis, sed quid causatum. Respondetur, non esse parem rationem, quia causa materialis per se est causa rei in facto esse, etiam si cesset omnis actio, ita vt si per impossibile compositum materiale non penderet ab aliquo agente in fieri, vel in conseruari, nihilominus haberet materia suam causalitatem circa tale compositum, vel circa formam eius: est igitur in materia propria quedam causalitas, quæ non versatur circa actionem vel mutationem, neque per illam fit, sed immediatè est circa ipsum esse totius compositi, quatenus includit vnionem materie cum forma: & ex sectione sequenti constabit, interdum esse materiam causam rei, & non productionis rei: sunt ergo hæ causalitates ex natura rei distinctæ. Vnaquæque verò earum potest comparari, & præcisè concipi in ordine ad res diuersas, & secundum varias habitudines explicari, in ordine ad formam, vel compositum: tota tamen illa distinctio est per rationem, seu per conceptus nostros inadæquatos, vt ex superioribus constat.

SECTION X.

Utrum materialis causa substantialis in corporibus incorruptibilibus inueniatur.



Actenus solum explicuimus materialem causam in substantijs generabilibus & corruptibilibus, in quibus notior est ob continuam transmutationem: nunc videndū supere, an sit etiam hoc

XV. Maior est qua causalitate compositi sunt constituit.

XVI. Duplex distincta causalitas: generatio materie, & vnio materie.

Obiectio satisfacta.